



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Methodus Clara Et Facilis Vacandi Orationi mentali Atque
Exercendi se cum fructu in præsentia Dei**

Coloniæ Agrippinæ, 1687

Interpres Lectori S.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-46004](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-46004)



Interpres Lectori S.



Noveris, amice Lector, tractatulum istum jam pridem à quodam nostri præfati Ordinis in Provincia Turonensi magnæ virtutis ac scientiæ, nec non in rebus asceticis experientiæ Religioso in gratiam potissimum sui Ordinis Novitiorum, aliorumque, maximè Juniorum, in quorum instructione plurimos annos ipse transegerat, Gallicè fuisse conscriptum : ut nempe cum Ordinis istius spiritus specialius in continua interiori atque affectiva cum Deo occupatione & conversatione consistat, ab ipso vocationis suæ initio hac orationis faciendæ brevi & clara methodo facilius illis ad hujusmodi occupationem & conversationem via sterneretur. Verùm cum animadverterem, atque usu ipso didicissem, eandem methodum non solum ejusdem ordinis nostri, sed & omni-

) (2 bus

P R Æ F A T I O.

bus quorumcunque Ordinum Religioſis, imò quibusvis orationis, præcipuè mentalis, quæ ſtatus Religioſi, atque etiam cujuſlibet ſpiritualis, anima & vita eſt, ſine qua in perfectione, ad quam tendere, vi profeſſionis non modò Religioſæ, ſed & Chriſtianæ, omnes tenemur, proficere vix, ac ne vix quidem poſſibile eſt, ſtudioſi uſui, ac valde commodam & proficuam eſſe poſſe, ut illis quapiam ratione, communem eam pluribus, aliarum etiam quarumlibet nationum viris, non tantum Religioſis, ſed & quibusvis, quibus æquè penè eadem commendata eſſe debet oratio, utpote quarumlibet animarum devotarum ſpiritualis alimonia, faciendo, gratificarer, Latinitate tractatulum hunc donare, ſicque cum meorum licentia, imo exjuſſu, ſuperiorum publici juris, typi beneficio, ſacere conſtitui.

Quoniam verò orationis huiusmodi non ſolum fructus, ſed etiam potiffimum adjuventum, adverſum quævis vitia, quin & quaſlibet immoderationes præſentiffimum remedium, atque ad proficiendum in virtutibus ac via perfectionis compendium eſt jugis exercitatio in divina præſentia, licet
de

P R Æ F A T I O.

de illa in hoc tractatulo etiam aliqua agantur, ut tamen omnes vitæ spiritualis amantes, atque imprimis Religiosi, passim obviam illius haberent praxin, aliud in fine opusculum ab eodem Religiosissimo Authore, seu potius ex ipsius scriptis ab eximio quopiam illius, haud absimilis pietatis atque experientiæ, Discipulo eadem linguâ Gallicâ non ita pridem excerptum atque evulgatum, atque à me pariter latinitate donatum adjicere operæ pretium esse censui, in quo ad oculos, ut dici solet, penè comonstratur, qua ratione in omnibus & singulis communibus ac peculiaribus actionibus utiliter & maximo cum fructu ista divinæ haberi exercitatio præsentia possit, quod proinde SPIRITUS actionum Religionis appellatur, in quo licet aliqua repetantur, quæ in priori Tractatulo quoque dicta jam fuerant, paulò tamen id fit extensius ideoque enucleatius.

Porro si qua in Religione, aut alio quovis statu, maximè Ecclesiastico, usitatae sint aliæ quædam actiones specialiores, ab ibidem exprimendis diversæ, illis facilè illic dicenda accommodari, atque ad eorum normam si-

P R Æ F A T I O.

miles directiones, considerationes atque aspirationes efformari: v gr. quæ dicuntur de audienda Missa vel Concione, de seruiendo Infirmis, conversatione cum extraneis &c. proportionaliter de eadem missa dicenda, concione habenda, infirmis visitandis, suscipienda cum quibusvis conversatione &c. intelligi & applicari posse, Religiosum ac studiosum Lectorem usus ipse docebit. Ordinem vero ac fructum in eodem opusculo dicendorum specialis illius Præfatio exponet.

Hunc ergo, amice Lector, quantumcunque laborem meum æquo animo accipe, & styli, si quam alicubi nimiam iudicio tuo inveneris humilitatem, ex eo illam capite benignè excusa, quod cum Incipientibus imprimis hæc præscripta opuscula sint, eorum ille, adeoque omnium, attemperari debuerit capacitati. Faxit Deus, ut, quod spero, ad plurimorum ea cedant spirituales profectum, atque animarum utilitatem, sicque & ego, quod humillimè rogo, meritorum ipsorum partem aliquam quoque percipiam.